

quia ad hoc augmentum ex opere operato efficiendum, neque est necessaria aliqua actualis bona dispositio, neque etiam impedi potest per pravam dispositionem actualem, quæ peccatum mortale non sit, quia gratia et augmentum ejus non habent formalem repugnantiam cum quolibet actu, qui non sit peccatum mortale.

9. Atque hinc sequitur primo, actuale peccatum veniale non esse obicem ad hunc effectum sacramenti suscipiendum; quod de Eucharistia docuit D. Thomas, infra quæst. 79, art. 8. Unde a fortiori idem diceret de cæteris sacramentis, quæ minus digna sunt; et de baptismo idem affirmat Scot., in 4, d. 4, q. 7, et idem sentiunt frequentius Theologi, ut in particulari de singulis sacramentis dicemus, et favent Augustinus et alii Patres supra citati, qui solum mortale peccatum dicunt obstare sacramento, ne effectum gratiæ conferat. Ratio vero est supra tacta, quia veniale peccatum non habet formalem repugnantiam cum augmento gratiæ, nec reddit sumptionem sacramenti ita indignam, ut ea de causa habeat mortalem malitiam. Quæ ratio etiam probat, peccatum veniale non esse obicem respectu infusionis primæ gratiæ; quod verum est, non solum in justificatione per sacramentum, sed etiam extra sacramentum; nam potest quis habere contritionem mortalis peccati, et concomitanter admittere aliquod veniale peccatum, quod non obstat, quo minus statim justificetur. Contra hanc vero doctrinam opinatus est Cajet., infra quæst. 79, art. 4, ubi specialiter de Eucharistia dicit, non solum propter veniale peccatum, sed etiam propter actualem distractionem impedi, ne augmentum gratiæ conferat. Quod ad cætera sacramenta ampliavit Pet. Soto, lect. 9, de Sacram. in gen., et lect. 8, de Confess. Et fundari potest hæc opinio, quia videtur absurdum, quod homo, dum actu peccat et offendit Deum, fiat sanctior ac Deo gravior. Sed nihilominus doctrina tradita apud me fere certa est, quia contraria nulla ratione aut auctoritate nititur, et est nimis rigida, ac præter humanam fragilitatem. Cum autem hoc pendeat ex Christi voluntate et institutione, pie potius credendum est, sese in hoc humanæ fragilitati accommodasse; præsertim quia gratia habitualis in homine manens tantæ est dignitatis apud Deum, ut vincere possit ac superare leves omnes defectus, ac negligentias, et ideo ipsa sola est sufficiens dispositio ad hunc sacramenti effectum. Deni-

que ratio supra facta et in principiis fidei fundata a prædictis auctoribus non solvitur; est autem valde efficax, satisque ostendit, hanc fuisse Christi institutionem. Neque est inconveniens, diversis titulis, seu actibus esse simul augmentum in divina amicitia cum aliqua levi offensione Dei, quia hæc, ut dixi, non sunt formaliter repugnantia, et in merito ex opere operantis potest interdum accidere per duos actus concomitantes, quorum unus non sit circumstantia alterius, ut notavit Scot. in 4, d. 4, qu. 7, et in 1. 2 latius tractatur.

10. *Objectio.* — *Responsio.* — Dicunt vero aliqui, quamvis peccatum veniale non impediat, quo minus gratia in esse gratiæ augeatur per sacramentum, propter rationem factam, impedire tamen, ne augeatur in esse qualitatis. Sed hæc distinctio in proposito non bene accommodatur, quia qualitas illa, quæ est gratia, ex intrinseca sua natura facit gratum et proportionatum gloriæ; unde esse gratiæ et esse illius qualitatis idem sunt; nisi forte esse gratiæ dicatur extrinseca acceptatio ad gloriam. Sed sub hac etiam ratione nunquam gratia augetur in esse gratiæ, quin augeatur in esse qualitatis, quia secundum legem ordinariam nunquam homo acceptatur ad majorem gloriam, quin intrinsece fiat proportionatus illi per majorem gratiam. Ac denique licet aliquando hoc fieret, ut quidam dicunt de merito per actus remissos, tamen in effectu sacramenti nulla est probabilis ratio ad hoc asserendum, quia sacramentum, cum agat ut instrumentum Christi, virtutem habet ad totum suum effectum præstandum, si subjectum non ponat obicem. Neque aliam dispositionem positivam requirit, quam quod subjectum sit gratum, ut ostensum est. Nam si alia esset necessaria ad augmentum gratiæ in esse qualitatis, eadem ratione diceretur necessaria ad augmentum in esse gratiæ, quandoquidem non tam esset dispositio physica, quam moralis; aut dicendum est, sacramentum nunquam augere habitum in esse qualitatis, nisi homo disponatur per intensiorem actum, quod omnino falsum est et improbabile.

11. *Quæ dispositio requiratur ad sacramentalem gratiam formaliter sumptam.* — Secundo colligitur ex dictis, quæ sit necessaria dispositio, ut sacramentum conferat propriam sacramentalem gratiam, prout addit divinam aliquam motionem, seu auxilium. In primis enim necessarium est, ut homo eo tempore, quo recepturus est hujusmodi auxilium ratione sacramenti, sit in statu gratiæ.

Tum quia hic effectus sacramentalis non datur, nisi ut conjunctus et fundatus in gratia sanctificante, ut diximus; tum etiam quia, qui est in peccato, indignus est his supernaturalibus donis; et ideo, quamdiu est in illo statu, non sunt illi debita ratione sacramenti, quamquam possit Deus illa liberaliter conferre; Deus enim, qui sapienter et suaviter omnia disponit, noluit ut hujusmodi auxilia debita essent homini in peccato mortali existenti. Est autem sermo de auxiliis, quæ ad sanctificationem propriam suscipientis ordinantur. Nam alii speciales Dei concursus, qui pertinent ad bonum aliorum, seu Ecclesiæ utilitatem, aut usum alicujus spiritualis potestatis, ut ad consecrandum, absolvendum, vel similes, hæc (inquam) auxilia non pendent ex gratia sanctificante, sed sunt ad modum gratiæ gratis datæ, quæ propter aliorum commodum, interdum bonis, interdum malis tribuitur, ut latius infra dicitur quæst. 64. Deinde necessarium est, ut homo non habeat actualem dispositionem repugnantem hujusmodi auxiliis, seu motionibus divinis. Hæc enim non solum per mortale peccatum, sed etiam per veniale et per voluntariam distractionem, seu attentionem ad res alias impediiri possunt, ut per se constat, et latius in singulis sacramentis dicemus.

SECTIO V.

Utrum omnia sacramenta conferant æqualem gratiam.

1. *Questionis explicatio.* — *Prima sententia.* — Potest comparatio fieri, vel inter sacramenta specie diversa, ut inter baptismum et confirmationem, et sic de reliquis septem sacramentis, vel inter sacramenta solo numero diversa, ut sunt duo baptismata. Prior comparatio non pertinet ad hunc locum, sed infra quæst. 65 facienda est. Circa posteriorem vero duo possunt esse dicendi modi extreme contrarii. Primus est, sacramenta posse habere in eodem, vel diversis subjectis, inæqualem effectum, etiam si ex parte suscipientium eadem sit dispositio et æqualitas in omnibus. Ita sentit Palud., d. 4, quæst. 1, ubi agens de baptismo, dicit parvulos, qui cum solo baptismo morituri sunt, recipere inæqualem gratiam, quia sunt ad inæqualem gloriam prædestinati. Hoc autem colligit supponendo homines futuros esse æquales in multitudine Angelis beatis; unde infert futuros etiam esse pares in gloria, ut latera (inquit) civitatis sint æqualia; Angeli autem inter se

non sunt æquales in gloria; ergo, ut homines sint æquales illis, necesse est, ut inter se non sint æquales. Sed hoc fundamentum valde est infirmum. Nam omnia fere, quæ assumit, nituntur levi ac voluntaria conjectura, sine firmo fundamento. Nec solidius est, quod alii dicunt, homines prædestinari, ut in gloria accipiant sedes, quas Angeli mali amiserunt; Angeli autem omnes sunt in gloria inæquales, sicut et in natura, quia acceperunt gratiam juxta naturæ proportionem; et ideo omnes homines fore inæquales in gloria. Scot. etiam ead. d. 4, quæst. 8, et Gab., quæst. 2, concl. 7, licet absolute hoc non affirmant, dicunt tamen, rem esse dubiam, an scilicet sacramentum conferat uni majorem gratiam, quam alteri, vel propter solam Dei voluntatem, scilicet, quia prædestinavit unum ad majorem gloriam, quam alium; vel propter merita parentum aut ministrorum, qui impetrant homini majorem sacramenti effectum, cæteris paribus. Et hoc posterius secutus etiam est Cajetanus infra, quæst. 64, art. 4, qui cum Scoto adnotat, illum gratiæ gradum qui additur ex merito, vel impetratione ministri, non esse proprium effectum sacramenti ex opere operato, sed concomitanter dari cum effectu sacramenti; atque ita salvat, formaliter non augeri effectum sacramenti. Fundamentum hujus sententiæ quoad priorem partem solum esse potest, quia divina virtus ac voluntas non est alligata sacramento; ergo quamvis Deus solum promiserit aliquem certum gradum gratiæ, potest voluntate sua dare majorem, ut prædestinatio consummetur, juxta illud Matth. 20: *An non licet mihi, quod volo facere?* Ex qua ratione colligitur, effectum sacramenti ex parte unius termini semper esse æqualem, existente æquali dispositione subjecti, quia scilicet semper dabitur tanta gratia, quanta promissa est, et non minor, quia divina promissio habet infallibilem effectum; ex parte autem alterius termini poterit esse inæqualitas, quia potest Deus dare ultra id quod promisit. Altera vero pars in eo fundari potest, quod unus homo justus potest alteri impetrare, seu mereri gratiam de congruo; ergo potest etiam impetrare, ut augeatur effectus sacramenti.

2. *Secunda sententia.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Secunda sententia est, sacramenta ejusdem rationis semper habere æqualem effectum gratiæ, quomodocumque homo sit dispositus, dummodo non ponat obicem. Ita baptismus ex opere operato eandem gratiam

confert homini attrito, et contrito, seu homini attrito ut duo, vel ut quatuor. Et ratio est, quia sacramentum, ut det suum gratiae effectum, solum requirit, ut suscipiens non ponat obicem; ergo sacramentum operatur quantum potest, in homine non ponente obicem; ergo non magis operabitur in homine magis disposito, quam in alio, quia, si operatur quantum potest, in eo qui minimam dispositionem habet, nihil ei superest, quod in alio operetur. Et ratio est, quia in non ponendo obicem omnes sunt aequales, et dispositio per se non est necessaria ad effectum sacramenti, sed solum, ut non ponatur obex. Quod si objicias, quia videtur magnum incommodum, quod recipiens sacramentum, v. gr. baptismum, cum meliori actu attritionis, vel contritionis, non recipiat majorem gratiam. Responderi potest, recipere quidem majorem gratiam, non tamen ex opere operato, sed ex merito operantis; in illo enim instanti meritum operantis conjungitur cum effectu ex opere operato, et ex utroque major effectus resultat. Ille vero excessus non est effectus sacramenti, sed concomitanter est simul cum illo, sicut Cajetanus dicebat de effectu, qui augetur per impetrationem, vel meritum ministri.

3. *Cum aequali dispositione aequalis est effectus sacramenti.* — Dico tamen primo, sacramentum semper habere aequalem effectum in subjecto aequale disposito. Ita sentiunt communiter Theologi. Quamvis enim non loquantur in genere de sacramento, sed in particulari de aliquo, et maxime de baptismo, fundantur tamen in ratione generali et communi omnibus, ut videre licet in D. Thom. infra, quaest. 69, art. 8; Alexand. Alens., 4 par., quaest. 21, membr. 3; Richard., d. 4, art. 3, quaest. 3; Bonav., quaest. ult.; Major., quaest. 3; Soto, d. 6, quaest. 1, art. 6; et favet Damascen., lib. 4 de Fide, cap. 40; Cyprian., August. et Chrysost., locis infra citandis. Ratio vero est, quia unumquodque sacramentum habet definitum effectum ex certa lege et promissione; ergo ex parte Dei hic effectus semper est aequalis; ergo, si ex parte suscipientis sit etiam aequalitas, effectus simpliciter et absolute erit aequalis. Primum antecedens constat ex supradictis, et ex Concil. Trident., sess. 7, can. 7, definiente, sacramentum conferre gratiam ex certa et statuta lege; nam eadem est ratio de gratia et de tanta gratia per illam legem definita. Item, quia sicut significatio sacramentorum debuit esse deter-

minata, ita et efficientia, quantum est ex parte sacramenti. Praeterea, quia ad convenientem modum providentiae spectat, ut singulae causae habeant certos effectus. Denique, quia alias eadem ratione dici posset, nullum sacramentum, comparatum ad aliud specie distinctum, habere determinatum effectum; sed nunc dare hunc effectum, postea alium pro Dei arbitrio, quod est manifeste contra debitam institutionem sacramentorum et contra doctrinam Concil. Trident., sess. 7, et Florent. in decreto Eugenii. Prima vero consequentia primo ex dictis est manifesta. Quia rationes factae non solum probant, debuisse effectum sacramenti esse determinatum quoad minimum, sed etiam quoad maximum effectum producendum in tali subjecto sic disposito; nec est major ratio de uno termino, quam de alio. Quapropter si fingamus, Deum suo arbitrio interdum augere hujusmodi effectum existente aequali dispositione ex parte suscipientis, ille excessus non potest dici effectus sacramenti, sed esse donum quoddam mere gratis a Deo collatum concomitanter cum effectu sacramenti, sicut Cajetanus dicebat de impetratione seu merito ministrorum. Atque hinc probata relinquatur secunda consequentia, quia si ex parte passi est aequalitas, et etiam ex parte agentis, scilicet sacramenti, non est unde effectus sit inaequalis. Nam circumstantiae temporis, loci aut aliae ejusmodi, nihil conferre possunt, ut effectus sacramenti sit major vel minor, quia effectus sacramentorum nec pendent ex tempore, nec ex propinquitate aut distantia loci, dummodo sacramentum revera fiat et suscipiatur. Et confirmatur tota haec ratio ex Cypriano, epist. 59, ubi agens de sacramento baptismi dicit, habere apud omnes homines unam divini muneris aequalitatem, sed illic, inquit, aequalitas divina spiritualis exprimitur, quod pares, atque aequales sint omnes homines, quando a Deo semel facti sunt; et possit aetas nostra in incrementis corporum secundum saeculum, non secundum Deum habere discrimen; neque gratia ipsa, quae baptizatis datur, pro aetate accipientium, vel minor vel major tribuitur, cum Spiritus Sanctus non de mensura, sed de pietate ac indulgentia paterna, aequalis omnibus praebeatur; nam Deus, ut personam non accipit, sic nec aetatem; cum se omnibus ad caelestis gratiae consecutionem aequalitate librata praebeat patrem. Et eandem doctrinam indicat Chrysostomus, hom. 24, in Acta, tractans illa verba, cap. 40: *Dans illis par donum*

sicut et nobis. Posset tamen aliquis haec loca explicare de aequalitate doni quoad substantiam, non vero quoad intensionem; quia revera praedicti Sancti de hoc praecipue loquantur. Tamen si doctrina eorum et ratio attendatur, aequae de utraque aequalitate procedit, ut magis explicuit idem Cyprianus, lib. 4, epist. 7, alias, epist. 76 circa fin., dicens: *An consecuti sunt quidem gratiam dominicam, sed breviori et minori mensura muneris divini, ac Spiritus Sancti, ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen caeteris adaequandi? quinimo Spiritus Sanctus non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur; nam si dies omnibus aequalis nascitur, et si sol super omnes pari et aequali luce diffunditur, quanto magis Christus sol et dies verus, in Ecclesia sua lumen vitae aeternae pari aequalitate elargitur?* Quod latius postea persequitur.

4. *Effectus sacramenti de lege ordinaria non augetur, eadem dispositione existente.* — Dico secundo, secundum legem ordinariam et seclusis miraculis, nec concomitanter augeri effectum sacramenti ex sola Dei voluntate et praedestinatione, neque ex solo merito, vel impetratione ministrorum vel aliorum, si suscipientis dispositio semper sit eadem. Probat prior pars, quia licet ex divina praedestinatione et electione oriatur, ut unus majorem gratiam recipiat, quam alius, tamen hoc non fit regulariter, nisi per media consentanea et ad hunc effectum accommodata, quia hoc pertinet ad suavem Dei providentiam et perfectam praedestinandi rationem. Unde, si duo sint praedestinati ad inaequalem gloriam, non inde fit, recepturos esse inaequalem gratiam per baptismum in infantia receptum, si in ea aetate sint morituri; sed potius fit, ita Deum illis esse provisurum, ut alter non decedat donec illi applicetur medium, quo majorem gratiam consequatur. Et confirmatur, quia alias eadem ratione dici posset, interdum salvari infantes sine sacramento baptismi, solum quia praedestinati sunt, et ex Dei voluntate datur illis gratia et remissio peccati sine medio ad hunc effectum instituto. Item, eadem ratione dicere posset aliquis, eundem actum, caeteris omnibus paribus, esse in uno magis meritorium, quam in alio, solum quia praedestinat est ad majorem gloriam, quam per solum illum actum est consecuturus. Denique hoc sensu dicunt Sancti citati, Deum, quod in se est, aequaliter se praebere omnibus per sacramenta. Et ita hanc priorem partem con-

firmant omnia adducta in praecedenti assertionem. Posterior vero pars sumitur ex August., lib. 4 de Bapt., cap. 20, et tract. 5 super Joan.; et Ambros., lib. de Mysteriis, cap. 5; Cyprian., serm. de Bapt. Christi, ubi hoc eleganter docet. Et Nazianz., orat. 40, in S. Baptisma, satis post medium, ubi comparat ministrum bonum vel malum sigillo ferreo vel aureo, quoad eundem effectum. Chrysost., hom. de reditu suo ex Asia, ubi sic loquitur: *Multi me absente baptizati sunt, et quid tunc? nihil minus habet gratia, non claudicat donum Dei; absente me baptizati sunt, sed praesente Christo sunt baptizati.* Ratio vero est, quia effectus sacramenti non datur ob meritum ministri, sed solius Christi, propter quod ait Paul., 1 ad Cor. 1: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* ubi hoc D. Thomas notat. Dices, haec ratione solum probari proprium effectum sacramenti formaliter ac proprie loquendo non augeri per orationem, aut meritum ministri; non vero probari, quod nullus gradus gratiae possit adjungi effectui sacramenti propter orationem ministri. Unde D. Thomas infra, quaest. 64, art. 1, ad 2, sic inquit: *Effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum; aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri.* Et quaest. 82, art. 6, eodem sensu dicit, *quod Missa melioris sacerdotis magis est fructuosa ex devotione sacerdotis orantis.* Sed, licet verum sit, ministrum sacramenti posse mereri de congruo et impetrare aliquid ultra effectum sacramenti, non tamen potest immediate mereri gratiam sanctificantem, vel aliquem ejus gradum, absque proprio actu vel merito suscipientis; in hoc enim merito vel impetratione non est major ratio, vel efficacia in ministro sacramenti, quam sit in quolibet alio homine aequae justo pro alio orante aut bene operante, caeteris paribus, quia minister in hac oratione tantum se gerit ut persona privata, solumque concomitanter adjungit orationem suam ministerio sacramenti, neque habet aliquam specialem promissionem aut valorem in suo opere vel oratione; sed nullus hominum praeter Christum potest alteri mereri, vel impetrare gratiam sanctificantem sine actu vel dispositione ejus; alias possem ego mereri vel impetrare, ut alicui remitteretur peccatum sine contritione, quod est aperte falsum. Nam licet possimus mereri alteri de congruo primam gratiam, merendo illi bonum motum, quo se ad illam disponat, vel me-

rendo etiam applicationem sacramenti, si opus sit, mereri tamen alicui gratiam dandam sine sufficienti dispositione et sine sacramento, est præter legem Dei ordinariam. Et ideo sine speciali miraculo impetrari non potest; alias possemus etiam a Deo mereri, ut parvulus sine baptismo salvetur, vel ut parvulus jam baptizatus crescat in gratia, antequam possit habere actum. Quid enim refert impetrare hoc augmentum concomitanter eo tempore quo datur baptismus, vel postea? aut si semel hoc augmentum impetrari potest, cur non iterum atque iterum? at vero magnum absurdum esset hæc omnia admittere secundum ordinariam legem; alioquin fieri posset, ut parvulus vel adultus dormiens aut nihil de salute sua cogitans unico momento abundantissimam gratiam consequatur, si multi justi pro illo orant, et unusquisque aliquem gratiæ gradum illi impetrat; deberemus etiam omnes pro parvulis sic orare, ut in gratia crescant, etiam dum incapaces sunt priorum actuum. Hoc autem est plane falsum et inauditum in Ecclesia. Signum ergo est, non esse possibilem hujusmodi modum meriti secundum legem ordinariam, aut sine speciali miraculo. Cujus ratio propria est, quia essentielle præmium meritorum est gloria, quæ gratiæ respondet; et ideo non augetur gratia, nisi per propria merita, vel per merita Christi sufficienter applicata per sacramentum; unde cum aliquis pro alio orat, aut ei de congruo meretur, per illam orationem, vel meritoriam operationem, sibi ipsi meretur de condigno præmium gratiæ et gloriæ proportionatum et adæquatum. Et ideo non potest mereri alteri immediate tale præmium; aliquod autem auxilium vel bonum motum, quo alter se præparet ad gratiam suscipiendam, mereri potest, quia hoc est quasi accidentarium præmium respectu merentis. Respectu autem alterius, est principium, quo se disponat ad gratiam vel augmentum ejus obtinendum. Et ideo hujusmodi meritum solum habet locum respectu adultorum, qui sunt capaces divinarum motionum. Unde fit tandem, ut oratio ministri possit prodesse suscipienti sacramentum, si adultus sit, ut a Deo moveatur, quo melius se disponat ad suscipiendum sacramenti effectum; non tamen, ut immediate ac sine meliori dispositione, abundantior gratiam recipiat.

5. *Ut melius disposito major gratia tribueretur oportuit. — Objectio. — Attritio quæ est dispositiva ad primam gratiam falso fingi-*

tur esse meritoria novi augmenti. — Dico tertio: sacramentum ejusdem rationis confert majorem effectum gratiæ homini melius disposito. Hæc est communis sententia Theologorum, quos retuli. Tenet etiam Ledesm., 1, p. 4, quæst. 22, art. 4, dub. 2, et eam indicat Damascen., lib. 4, cap. 20, dum inquit: *Quamvis peccatorum remissio omnibus æque per baptismum detur, Spiritus tamen gratiæ pro fidei ac præcedentis purgationis modulo ac ratione comparatur.* Idem colligitur ex Concil. Trident., sess. 6, cap. 7, dicente, nos justificari, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam uniuscujusque dispositionem et cooperationem. Et loquitur eo loco de justificatione, quæ fit per baptismum. Ratio a priori hujus conclusionis petenda est ex Christi institutione; potuit enim ita instituere et promittere gratiam unicuique sacramento, ut voluerit illam non esse absolute æqualem in omnibus, sed proportionalem et accommodatam uniuscujusque dispositioni. Quod vero ita fuerit facta institutio, solum potest congruentiis declarari. Primo, quia ad suavem Dei providentiam et sapientem ac justissimam distributionem pertinet, ut melius disposito major gratia conferatur. Secundo fuit hoc expediens, ut homines excitarentur ad recipienda sacramenta cum majori devotione et reverentia, saltem propter spem majoris fructus. Tertio, quia causæ naturales melius operantur circa passum melius dispositum; decuit ergo, ut causæ gratiæ (ut sic dicam) eandem proportionem observent. Nec ad hæc omnia satis est, ut homo ipse per meliorem dispositionem aliquid amplius mereatur, vel obtineat; quia hoc totum est ex opere operantis. Unde non sufficit ad propriam causalitatem sacramentorum, quæ est ex opere operato. Et confirmatur, quia si duo accedant ad sacramentum cum sola attritione, in gradu tamen et perfectione inæquali, vel recipiant æqualem gratiam, et ita non justificabuntur juxta uniuscujusque dispositionem, quod est contra Concilium; vel unus recipit majorem gratiam quam alius; et ita necesse est sacramentum ex opere operato habere majorem effectum in uno, quam in alio, quia attritioni secundum se nullus gradus gratiæ respondet. Sed ad hoc respondere potest aliquis, duplicem gratiam esse ibi considerandam: alteram per modum gratiæ primæ, quæ datur ex opere operato, virtute solus sacra-

menti; et hæc esse æqualem in utroque homine; quia ut argumentum probat, nihil hujus gratiæ respondet attritioni secundum se. Altera vero gratia potest ibi considerari per modum augmenti, quatenus attritio jam informata gratia fit meritoria coram Deo; videtur enim esse meritoria alicujus augmenti gratiæ, cum prior gratia nullo modo ratione illius data sit, sed solum ratione sacramenti. Sed hæc responsio supponit quiddam, vel falsum, vel valde incertum; scilicet, per attritionem informatam gratia sacramentali mereri hominem augmentum gratiæ in eodem instanti conferendum. Nam, cum ipsa sacramentalis gratia simul detur ratione attritionis in genere causæ dispositivæ, sine causa dicitur, habere eandem attritionem causalitatem meritoriam circa novum gradum gratiæ; alias eadem contritio, quæ ut antecedit primam gratiam, est dispositio ad illam, ut informata per illam esset meritoria novi augmenti, quod est falsum et contra omnes, ut constat ex materia de gratia. Unde confirmatur, quia si homo contritus sit et simul sacramentum suscipiat, non meretur augmentum gratiæ; ergo multo minus illud merebitur homo attritus. Ac tandem, quia per illam attritionem meretur primam gloriam, quantum potest, et illud est condignum præmium. Deinde, quidquid de hoc sit, non satis fit argumento, quia formaliter loquendo de gratia prima, qua sanctificatur homo et transfertur de morte ad vitam, illa non daretur secundum propriam uniuscujusque dispositionem, si æqualis esset; at hoc repugnat doctrinæ Concil. Trident.

6. *Quæ sit dispositio, qua crescit sacramentalis effectus. —* Sed quæres, quænam sit hæc melior dispositio hominis suscipientis sacramentum, ratione cujus crescit sacramentalis effectus; fieri enim potest, ut unus excedat alterum in habituali gratia et sanctitate, non tamen actuali devotione et reverentia; in ipsa etiam actuali dispositione potest esse diversitas, vel in specie actus, ut si unus sit attritus et alter contritus, etc.; vel in intentione, ut si unus accedat cum affectu charitatis intenso, alius cum remisso; vel in multitudine actuum, ut si unus accedat cum uno actu, alius cum duobus, alius cum pluribus; vel in actuali, vel virtuali præsentia, ut si quis in eodem momento, in quo recipit effectum sacramenti, sit in actuali dispositione, alius vero, licet proximo antecedenti tempore multis actibus se disposuerit, in ipsa tamen

actuali susceptione sacramenti non habeat hujusmodi actum physice præsentem. Nam tota hæc dispositio censetur actualis, quia per proprium actum facta est, et moraliter manet, licet physice non duret. In hac igitur tanta dispositionum varietate et quacumque alia, quæ facile excogitari potest, dicendum videtur, ad effectum sacramenti maxime conferre actualem dispositionem, quia in ea maximum locum habent congruentiæ adductæ, ob quas sacramentum ita est institutum, ut majorem conferat gratiam melius disposito; nam moraliter loquendo, illa est proprie dispositio; nam in ea aliquid homo de suo confert cum divina gratia, ut dignius sacramentum recipiat; habitualis autem gratia potius pertinet ad quamdam personæ dignitatem et ad excludendum impedimentum peccati. Deinde addendum, hæc dispositionem moraliter esse considerandam; nam illa, quæ pensatis omnibus circumstantiis, melior est et laudabilior et magis proportionata ad effectum sacramenti, conducet ad augmentum ejus; et hoc modo inter alias circumstantias poterit etiam juvare major gratiæ dignitas, quatenus aliquo modo redundat in actum et facit illum esse majoris valoris, ac dignitatis moralis.

DISPUTATIO VIII.

DE TEMPORE, IN QUO SACRAMENTA GRATIAM CONFERANT.

Tria sunt tempora, de quibus disputare possumus. Primum est, quod duratione antecedit susceptionem sacramenti. Secundum est illud, in quo sacramentum recipitur. Tertium esse potest post transactam susceptionem sacramenti; de quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Utrum sacramenta interdum conferant gratiam ex opere operato, antequam recipiantur.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia interdum contingit consequi effectum sacramenti per solum votum et desiderium sacramenti; quod inductione ostendi potest in quinque sacramentis, quæ ad utilitatem singulorum fidelium instituta sunt; nam de duobus aliis, quæ sunt ordinata ad bonum totius communitatis, scilicet Ordine et matrimonio, æquo existimare potest, quod conferant sacramentalem